

dare & adsuescere. Nihilominus observandum est, quoniam Potatio valdè appetitum intendit, ac nihilominus stomachi fibras non nihil relaxat, ut cibi benè mastificentur, nec nimis avidè & voraciter comedantur, aut Venter enormiter obruatur, inprimis in Cœnâ, unde inquietus somnus, & postridie Potatio difficilis futura esset.

III. Post pastum convenit usurpare *Tragœam stomachicam in moderatâ dosi*. Nonnunquam proderunt *Juscula vinosâ*, vel ex *Ovis, Vino, Pane tosto & Saccharo* parata. Potionem largam & frigidam esse nocentissimam, jam in superioribus dictum est. Qui *Vino* abundè indulgent, pessimè suæ valetudini consulunt, ac inde in sitim usque & usque intensiorem, & graviora quæque mala se conjiciunt, quam pro in consuetudinem æquè Balneantibus ac Potantibus *Thermas* impensè dissuademus, non quod omnem *Vini* usum proscribere, sed excessum duntaxat castigare nobis visum sit.

IV. Motus corporis moderatus esse debet, inprimis etiam in *Itinere & Reditu* attemperatus. Somnus durante *Curatione* ab horâ octavâ vespertinâ usque ad horam quartam matutinam ducendus, extra *Thermas* consuetudini, nisi prava fuerit, maximè indulgendum. *Alvus* quotidie respondeat, vel cunctata *Clysteribus* ex *Aquâ thermali* paratis sollicitetur. Postremò graves *Curæ & negotia domestica, Animi passiones, Tristitia, Sollicitudo*

*Tragœa
stomachica
conveniens.*

Quomodo reliquis rebus ad dietam spectantibus attendendum sit?